

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

M. Vitruvii ... De architectura libri decem

**Vitruvius
Frontinus, Sextus Iulius**

Argentorati, 1543


Cap. X

[urn:nbn:de:bsz:31-128539](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128539)

DE ROTIS ET TYMPANIS AD MO-
lendum farinam. CAP. X.

FIVNT etiam in fluminibus rotae eisdem rationibus, quibus supra scri-
ptum est. Circa earum frontes affiguntur pinnae, quae cum percuti-
untur ab impetu fluminis, cogunt progredientes uersari rotam: & ita
modiolo aquam haurientes, & in summum referentes, sine operarum cal-
catura, ipsius fluminis impulsu uersatae, praestant quod opus est ad usum.

ROTA AD SVMENDVM AQVAM EX
fluminibus, aptaq; ad molendum farinam.



Eadem ratione etiam uersantur hydraulae, in quibus eadem sunt om-
nia, praeterquam quod in uno capite axis habent tympanum dentatum &
HH inclusum,

DE ROTIS

inclusum: id autem ad perpendicularum collocatū in cultrum, uersatur cum rota pariter. Secundum id tympanum, maius item dentatum planum est collocatum, quo continetur axis, habens in summo capite subscudem ferream, qua mola continetur. Ita dentes eius tympani, quod est in axe inclusum, impellendo dentes tympani plani, cogunt fieri molarum circinationem, in qua machina impendens infudibulum, subministrat molis frumentum, & eadem uersatione subigitur farina.

DE COCHLEA QVAE MAGNAM COPIA

am extollit aquae, sed non tam alte.

CAP. XI.

EST autem etiam cochleae ratio, quae magnam uim haurit aquae, sed non tam alte tollit quam rota. Eius autem ratio sic expeditur. Tignum sumitur, cuius tigni quanta fuerit pedum longitudo, tanta digitorum expeditur crassitudo: id ad circum rotundatur. In capitibus circino diuiduntur circinationes eorum tetrantibus in partes quatuor, uel octantibus in partes octo ductis lineis: eaeque lineae ita collocantur, ut in plano posito tigno ad libellam, utriusque capitis lineae inter se respondeant ad perpendicularum: ab his deinde a capite ad alterum caput lineae perducantur conuenientes, uti quam magna erit pars octaua circinationis tigni, tam magnis spatijs discent secundum latitudinem. Sic & in rotundatione & in longitudine aequalia spatia fient. Ita quo loci describuntur lineae, quae sunt in longitudine spectantes, faciendae decussationes, & in decussationibus finita puncta. His ita emendate descriptis, sumitur saligna tenuis, aut de uitice secta regula, quae uncta liquida pice figitur in primo decussationis puncto: deinde traiecitur oblique ad insequentes longitudes & circinationes decussum. Et ita ex ordine progrediens, singula puncta praeter eundo & circuminuoluendo, collocatur in singulis decussationibus: & ita peruenit & figitur ad eam lineam, recedens a primo in octauum punctum, in qua prima pars eius est fixa. Eo modo quantum progreditur oblique per spatium & per octo puncta, tantumdem in longitudine procedit ad octauum punctum. Eadem ratione per omne spatium longitudinis & rotunditatis singulis decussationibus oblique fixae regulae, per octo crassitudinis diu-

dinis diu-